



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Parallela Geographica Italiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1649

Nvm. 2. De Oenotris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13120

QUARTA denique est eorum qui totam Italiam Magnam Græciam dixere: inter eos recensetur Athenæus lib. 12. vbi Magna Græcia definitur *πᾶσα χερδὸν ἢ τῆς τῆν Ἰταλίαν κατοικησις*: sic etiam Pompeius Festus, *Maior Græcia dicta est Italia, quod eam Siculi quondam obtinuerunt, vel quod in eam multe magnæ ciuitates ex Græcia profectæ sunt*: quibus posterioribus verbis causa redditur quare Magna Græcia nuncupata sit.

§. 2. *De populis antiquis Magnæ Græciæ, qui iam defecere.*

TRES vulgè numerantur, *Pelasgi, Chones, & Oenotrij*: de Pelasgis suprâ diximus satis multa, de duobus postremis pauca commemoremus.

NUM. 1. *De Chonibus, & Choniâ regione.*

CHONES genere Oenotrij fuerunt, vt disertè tradit Aristoteles 7. Polit. cap. 10. quod & facit Antiochus quidam apud Strabonem, à quo Chones gens Oenotrica dicuntur. Strabo tamen eos videtur ab Oenotris distinguere, & ait Chones extendi à Lacinio Promontorio *Capo delle Colonne, Metapontum vsque Torre di Mare.*

NUM. 2. *De Oenotris.*

OENOTRVS Lyæonis filius vnus ex 22. venit in Italiam ex Arcadiâ, cum Peucetio fratre, inquit Dionys. Halic. lib. 1. Peucetius ad Prom. Iapygum appulit, eamque regionem de suo nomine nuncupauit Peucetiam. Oenotrus autem videtur reliquum occupasse vsque ad Fl. Silarum limitem Lucaniæ, & Campaniæ. Certè eorum regio dicta est Pandosia, vt tradit Strabo, & Posidonia apud Dionys. Halicar. lib. 1. vrbs Oenotrorum vocatur. Arbitror igitur Oenotros ab Iapygibus diuisos fuisse per Fl. Brandanum, per Silarum autem ab Opicis qui Campani fuere, ab Ausonibus quoque sic diuisi sunt, quorum agros Samnites & Hirpini obtinuerunt.